



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gemitus Compeditorum; Sive Tentationes, Quae Frequentius Adoriuntur Religiosos, Et A Perfectione Impediunt

Kessler, Nicolaus

Coloniae, 1677

Ad Almam Dei Matrem Virginem Mariam Afflictorum Solatricem, Errantium
Directricem, Nutantium Fultricem [...]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46734)

AD
ALMAM DEI MATREM VIRGINEM

MARIAM

AFFLICTORUM SO-
latricem, Errantium Dire-
ctricem, Nutantium Fultricem,
Vacillantium Confirmatricem, Cæco-
rum Illuminatricem, Spe destitutorum
Consolatricem, Laborantium Refocilla-
tricem, & omnium denique ad se Confu-
gentium & Gementium Filiorum Adæ
Præsidium, Solatium, Patronam
fidelissimam.

*Anima gemens & flens in hac lacryma-
rum Valle suspirat.*



INTROEAT in c onspectu
tuo Gemitus Compedito-
rum; Vide Domina afflictio-
nem tuorum, aspice Mater
in lacrymas, quas fundimus,
in gemitus, quos edimus, in
te respiciunt oculi Gemen-
tium Filiorum Adæ: audi
obsecro, & exaudi Pupillorum ejulatus, produc
ubera, aperi sinum, porrige mammam, quoniam
languescimus, deficimus, & aporiamur, non te vin-

† 2

ent

eat Rumina (ut fabuluntium more & ore loquar)
qua gementi nato mammam porrigit , non Edusa,
qua escam ingerit , non denique celebris illa Roma-
norum filia , qua Patrem in carcerem trusum , &
inedia mori iussum , suismet uberibus lactabat , &
lactando in vivis conservabat aliquanto tempore:
Quid ? audaciam excuset filialis , & fiducialis
in te o Mater affectus , si filia hominum proles
suas , quas morti generant , tanto enutriunt im-
pendio , ut sanguine suo in lac eliquato , potent,
quoties his sugere libet , tu te vincere fines , filio-
rum amantissima , absit à nobis hæc blasphemia,
absit , inquam , ut credamus hoc , aut dicamus un-
quam , quin potius ad Matris gremium ad vole-
mus ad Matrem & Dominam nostram , cui non
deest , vel in juvando potentia , vel in voluntate
propensio & propensa voluntas : Illudant licet il-
lusione dignissimi Athei , vel Heterodoxi sorti tua
& funiculo hereditatis tua exprobrantes & di-
centes . videamus , si liberet eos de angustiis ; Ma-
riam invocant maris stellam , si luceat illis : Nos
cognovimus , quoniam non deseris in finem speran-
tes in tuo Patrocinio , suscipe ergo Clientum vota
admitte nos in sinum tuum suavissimum , ut in eo
quiescamus , & satiemur ab uberibus consolatio-
nis tue , hic in valle lacrymarum , quousque man-
na tecum fruamur in calis , ubi fugit
omnis dolor & Gemitus,
Amen.